

DISSERTATIO METAPHYSICA
KANTIANORUM DE RE IN SE
(DING AN SICH) DOCTRINAM
BREVITER EXAMINANS.

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOENSIS.
PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERUNT
FREDERICUS BERGBOM,
Phil. Mag. Stip. Bilm,

ET

RESPONDENS

GUSTAVUS ERICUS EHRSTRÖM
Stip. Publ.
Ostrobothniensis.

In Auditorio Medico die XXVII Aprilis MDCCCXI.
h. a. m. s.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

1. *Deinde dicit dominus ad iudeum*
2. *Quoniam tu es filius meus*
3. *Quia non credidisti mihi*
4. *Quia non credidisti mihi*
5. *Quia non credidisti mihi*
6. *Quia non credidisti mihi*
7. *Quia non credidisti mihi*
8. *Quia non credidisti mihi*
9. *Quia non credidisti mihi*
10. *Quia non credidisti mihi*

Präcipuum in eo philosophos, qui vel ullam aliquam indolis finisque philosophiae tenuerint scientiam, omni memoria posuisse operam, ut realitatem cognitionis humanae ratam facerent, in maxima licet circa hanc rem varietate fuerint & dissentione, neminem, qui varia philosophiae fata, variasque ejus diversis temporibus permutationes, attentiore persecutus sit mente, facile fugit. Omnium enim in quibus tractandis philosophia versatur objectorum, nullum equidem est, cuius tam proprie ad eam pertineat investigatio, quam ipissima cognitionis, quæ sola immediatum ejus haberi dicique potest objectum. Qua igitur ratione, firmum inconcussumque realitati cognitionis humanae ponatur fundamentum, primum sine dubio & præcipuum philosophiae est problema. Quod vero si nullam admittat explicationem, philosophia ne scientie quidem obtinere potest dignitatem & nomen, sed nugatorius tantum modo est inanum verborum complexus; explicato autem aliquando & soluto, patet, ex ipsa hac explicatione, quoconque tandem modo fuerit perfecta, cum ipsius philosophiae indolem & naturam, tum ceterorum ejus problematum tam sensum pendere quam explicationem. Corrupta autem vera indole philosophiae, quæ in inanes pessum data populari assensui accomodataas nugas, in vanum istum, qui ad nostram usque viguit ætatem, abierat eclecticismum, hoc quoque primum & præcipuum philosophiae problema turpiter neglegendum fuit, donec princeps hu-

A

jus

ius menioriae philosophorum KANTIUS, majore conatu, in Crisi sua puræ rationis, explicandi ejus periculum fecit, sanioresque simul induxit & veriorem philosophandi methodum. Immortalia igitur licet sint KANTII, circa philosophiam vicinasque disciplinas merita, omnibus tamen, qui non diligenter tantum abstrusa philosophiæ criticæ & recondita perscrutati sint arcana, sed nullius etiam disciplinæ auctoritate, cui in philosophando pareant, adstricti, vinculis solutam integrumque habeant judicandi potestatem, diluceat oportet, tam eum ipsum, quam asseclas ejus præsertim, cùm ad realitatem cognitionis tutandam, ad rem in se demum confugerint, e via quam ipsi sibi proposuerint temere declinasse, in maximasque incidisse difficultates. Quam ergo KANTIANORUM de re in se doctrinam, cum & nos nullo modo ceteris conciliare valuerimus Criticismi decretis, non potuimus quin, specimen edituri philosophicum, ejus potissimum examinandæ iniремus periculum. Quod si in tam lubrico, usu ætateque tirones, sine casu & prolapso versari nequeamus loco, ignoscant juvenilibus nostris viribus, æquè omnes hujus opusculi existimatores, nec arrogantiæ, etiam atque etiam rogamus, tribuant, quod flagrantissimo ausi sumus veritatis amore!

Ipsa igitur, ut ad propositum veniamus, notio cognitionis, quam Crisi puræ rationis pro fundamento, suæ de realitate cognitionis investigationi substernit, nulla est alia, quam experientiæ notio, KANTII sensu sumta (a). Collatis autem diversis, quibus in Crisi puræ rationis, experientiæ mentio fit, locis (b), apparet, KANTIUM experientiæ notione, objectorum in-

a) V. *Critik der reinen Vernunft v. Im. KANT.* Riga 1794. 4te Aufl. p. XXVI. 137, 146 sqq. 194 sqq.

b) Lib. cit. XXVI. 1, 118, 147, 161, 218 sqq. 226 - 234, 275 - 277, 422, 521, 873 &c.

intellexisse sensu perceptorum, necessario quodam, in subiecto repræsentante vi facultatis ejus cognoscendi determinato ne-xu, conscientiam. Cujus notionis analysin instituendo, in conditiones quoque, quibus locum habere possit experientia, ulterioris inquirit. *Materiam* nimirum experientie e *forma* distinguit, materiaeque notione sensualiter quod sit repræsentatum, sensatione scilicet & intuitione, intelligit, formæ autem notione, phænomenorum in una eademque conscientia copulacionem (c). In sensualiter autem repræsentato, *sensationem* vel *affectionem receptivitatis*, ut materiam repræsentationis sensualis, e forma distinguit intuitionis sensualis, in qua nimirum forma excipitur materia, & in certum quendam necessariumque disponitur ordinem (d). Hæc forma a priori jam in sensualitate ipsius subiecti continetur repræsentantis, & representationibus fundamento est sensualibus, *spatioque* consistit & *tempore* (d). Quod vero experientie formam attinet, dividit connexionem in conscientia determinatam, in connexionem phænomenorum, notionum ope in intellectu (e) & connexionem notionum, idearum ope in ratione (f) confectam. Ostendit demum connectendi modos intellectus, vel notionum in intellectu, quatenus facultas sit subiecti, formas (quas *categorias* appellat), objectivam haud obtainere realitatem, nisi ad formas intuitionis sensationemque, ut materiam illas impletent referantur (g), neque ideis realitatem competere, nisi quatenus notiones, quæ iis connectuntur, ad phænomena refe-xantur (h).

A 2

Ex

c) Lib. cit. p. 267 locaque infra lit. e) & f) citata.

d) Lib. cit. p. 34, 43, 47, 50 sqq. 60, 67, 71-75, &c.

e) V. Lib. cit. p. 90-169, &c.

f) Lib. cit. p. 367 sqq. 673 sq.

g) Lib. cit. p. 146 sqq. 304 sqq.

h) Lib. cit. p. 383 sqq. 670 sqq. 827, 874.

Ex allatis jam satis superque dilucet, omne esse per se, quia tale, a tota excludi experientia, neque realitatem ejus, nisi ut subjectivam quandam experientiae conditionem admitti, & omne quod in experientia objectivum est, in meram redigi subjectivitatem.

Quoniam autem ad objectivitatem, tam necessitas & universalitas, quam aliquid extra subjectum requiritur, putat se KANTIUS his satisfecisse postulationibus, & objectivitatem satis declarasse, statuendo, nullam unquam, sine subjectivis his experientiae conditionibus, homini euidam existere posse experientiam, omnibusque has conditiones imperitatis esse hominibus (*i*), objectivitatemque igitur hinc manantem, non posse non hominibus ut necessariam valere & universalem; deinde, externam perceptionem vel affectionem sensus externi, necessario ideam objectivitatis cuiusdam non merae subjectivae, vel rei in se, afferre, cuius natura quidem & indoles, quippe quæ nullo modo ex intuitione pendeat & experientia, tota quanta ignota est & esse oportet, sed quæ tamen revera existens & possibilis necessario sumenda est (*k*).

Hic vero, nonne summum virum, ut sunt haud raro finitima veris falsa, admirabilis ipsa compositio disciplinæ, rerumque incredibilis traxit ordo, ut sagacissimus licet, haud animadverteret, quam longe hac explicande objectivitatis via, a proposito sibi aberraverit scopo? Absolutum enim illud, extra subjectum positum aliquid, unde affectionem vel ma-

i) V. Lib. cit. p. 69, 193 sqq. 120 sqq. Cfr. *Prolegomena z. e. j. künft. Metaph.* u. Im. KANT. Riga 1783. p. 40, 77, 81, 86-89, 91 sqq.

k) V. *Crit. d. r. Vern.* p. XXVI. 45¹, 125, 250 sq. 333 sq. 344, 358, 390, 392, 394, 520 sqq. 565, 585, 594, 641, 724.

materiam, quæ ad formam, quam in mente paratam jam contineri docet KANTIUS, accedere oportet, si hæc forma intuitione & intuitionis ope in notionibus etiam objectivam obtinet realitatem, Crisis puræ rationis deducendam vult, secundum totam illam, quæ in hoc codice proponitur, facultatis cognoscendi theoriam, si modo ex perpetuitate & constantia, non ex singulis vocibus spectetur, nec cognosci posse nec esse videtur. Qua nempe ratione, hoc aliquid, aliquid esse poterit, cum nec materialis nec formalis experientia condicitur, adeoque nullum neque empirici ejusdam neque transcendentalis cognitionis objectum? Numne ipsa sibi repugnat Crisis in eo, quod non tantum repugnantiam quam huiusc rei in se notio continet detegens, eandem tamen rem in se ut incognitum quoddam, ut = X aslumit, sed ut objectum etiam incognitum hocce ponit, externam quod in subiecto sensationem efficiet, & esse quoddam eidem tribuit, quod externa testatum sit sensatione (l)?

Licet vero a genuina igitur Criticismi indole, aliena sine dubio sit hæc de re in se KANTII doctrina, & subreptitia quasi in scriptis ejus latere videatur, eam tamen non defendere tantum assecræ ejus student, sed extra limites quoque ab auctore positos extendere videntur male seduli. Dicunt enim se haud contendere, rem in se cognosci ullo pacto posse, quin immo volunt, eam ne repræsentandam quidem esse, nisi ut talem, cūjus nullo modo animo comprehendi posit intelligentia. Cur tamen necesse sit eandem, omni licet rationis usui repugnet, sub negativa hac ponere forma, deinde demonstrare fatagunt. Cum scilicet cogitat, dicitant, intellectus sensuum objecta, quatenus phænomena sint, ponit simul aliquid, quod sensualitatem afficiat, necessariisque naturæ fuæ legibus adstrictus, cogitur, phænomenorum cuique quid fundamento substruere

1) REINHOLDS Anleitung zur Kennt. und Beurtheil. der Phil. in Ec.
Wien 1805. p. 133.

struere, quod in iis appareat (*erscheint*) animumque pulsando materiam præbeat perceptionibus. Ita enim facultatis cognoscendi noltiæ natura comparata est, ut mutationem omnem objectorum cognitionis realem, ipsamque adeo sensationem, ad rationem quoque necesse est referamus real m, causamque aliquam efficientem. Realis autem hæc materiei repræsentationum sensualium ratio, iterum in objectis nequaquam quæri potest in sensum cadentibus, quippe quo posito, necessitas ejusdem ac quæ evitari voluit menti semet obrudit quæstionis. Non potest igitur, quin sensationis causa in *superfensi* ali quodam ponatur, quod vero prorsus incognitum nobis est, & ut aliquid tantum modo sumitur, quod ex intuendi nostra haudquaquam pendeat facultate, adeoque extra subjectum repræalentans, nulla ratione indolis sensualitatis nostræ habita, ipsum per se sit, animumque pellendo, intuitionem omnium efficiens sit. Hoc autem aliquid, quod omnem nostram fugit notitiam, inaneque ergo prorsus est & vacuum ens rationis, *rei in se* nomine insignitur. Quæ vero res *in se* nisi animum afficiat & pellat, unde impressio existat, quæ materiam repræsentationibus præbeat objectorum quorundam, redeuntibus tantum modo in mentem & recurrentibus occupari poterimus repræsentationibus, olim nimirum facta *rei per se* in animum actione perceptis & haustis. Quin ne ad repræsentationum quidem *a priori* conscientiam perveniendi quedam nobis patet via, nisi istiusmodi in animum extrinsecus fiat pulsus, quarum vero concii jam sumus, sunt & ipsæ inanes prorsus & vacuæ, si nulla in animum fiat *rei in se* actio, quippe quæ nimirum actio sola repræsentationibus a priori, quæ non nisi formæ empiricarum sunt repræsentationum, materiam præbere valent. Empiricæ igitur omnes, ut paucis tota res conficiatur, cuiuscunque generis repræsentationes, talem supponunt affectionem, contineantque necesse est aliquid, quod in ipso animo existere nequeat, sed ad aliquam extra mentem neces-

necessario referatur causam, in re per se unice requirendam (m).

Hæc vero omnia si libero ponderantur iudicio, nonne ambiguous nos hic ludi appareat, & a phænomenis tractam esse rationem ad commenticias fictasque res? Statuendum enim illis primum est, an categoriis *res in se* determinatas velint, an non? Illud si amplectamur, *res in se* cum phænomenis, vel rebus sub forma repræsentationis obvenientibus, quibus solis categorias competere volunt, temere confunduntur. Si hoc autem placeat, periculum, quæsumus, faciat quisquis voluerit, an quidquam categoriarum determinationibus liberum cogitare valeat. Ad ultimum animo contendat, verset hoc & illuc cogitatione rationem, omne mentis acumen adhibeat, ut rem quantitatis, qualitatis, relationis & modalitatis notionibus plane & omnino exutam eruat, & tamen ne hilum quidem nobis judicibus proficiet. Ejusmodi igitur rem *in se*, omnibus nudatam determinationibus, non = X quoddam, uti volunt, sed casum solum modo & vanum, sibique repugnans esse phantasie simulacrum, persuasissimum nobis est. Omnes enim, in unum complexæ categoriæ rem constituunt; ea non nisi synthesis harum notionum est, quibus sublatis, & ipsa tota quanta intereat necesse est & ad nihilum veniat. Quamvis enim objectum sibi ratio, quandocunque cogitet, necessario semper habeat, id tamen *aliquid, res*, semper non est, sed potest etiam merum nihil esse, & non nisi speciem alicujus quod revera sit referre. Objectum igitur quod cogitamus re ipsa *aliquid esse*, nec inane quoddam, mente & cogitatione tantum positum, non nisi ex eo judicare possumus, quod realita-

m) V. e. g. *Encyclop. Wörterbuch der Krit. Phil.* v. MELLIN sub *Artic. An sich, Afficirt werden, Stoff, &c.*

litatem habeat. Quam ob rem Cel. KANTIUS (n) & ipse, expresse docet: non nisi id *aliquid esse*, quod realitatem habeat, cuiusque notio *esse* quoddam in tempore indicet, unaque sola realitate, & quatenus illa pertineat, objecta aliquid *esse* & res. Cum vero inter categorias, quas ad *res in se* haud quaquam valere volunt KANTIANI, referatur realitas, nec præterea quid realitatem habere possit, nisi quod sensatione, quæ & ipsa ad *res in se* pertinere nequit, datum sit, cogitur, *aliquid* illud indeterminatum, quod *rerum in se* notione cogitandum volunt, ex ipsius ejus discipline tenore, quam in primis, veri & falsi dilceptatricem habent & judicem, haud quaquam aliquid ullo nomine *esse*, sed in nihilum totum quantum, ubi proprius consideretur, redigi. Unum quodque enim objectum, cui nulla competit realitas, nihil est, & quidem *nihil privativum* (ut loquitur KANTIUS), quod non nisi sublatæ omnis sensationis notio est, & transcendentalem quandam indicat negationem, sublatamque positionem & *esse* ipsius objecti. Cum igitur ad cogitationem tantum modo valeant *res in se*, reple autem nihil sint, quid interest, utrum de centauris & chimera, an de *re in se* cogitemus?

Sed videndum etiam est, quonam tandem jure *rebus in se existentia* unquam tribui possit. Præcipit enim KANTIUS ipse, & hi qui hortulos suos ex ejus irrigaverunt fontibus, existentiam non *esse* notam ipsius notionis, sed repræsentationem rationis quam habeat objectum ad cogitandi facultatem; ideoque notionem existentiæ, non ex re existente abstractam *esse*, sed ipsi cogitandi facultati originem suam debere. Nihil igitur aliud, nisi quod materialibus experientiæ conditionibus cohæret, existere potest. Quam ob rem probe tenendum est, ut objectum quod cogitamus existat & sit, præter id

n) *Crit. d. r. Vern.*, p. 602 sqq.

id ut sit ob omni repugnantia liberum, requiri, ut aut ipsum sensu percipiatur, vel saltem alii cuiusdam objecto, quod sensu jam sit perceptum, secundum experientiae analogias necessario cohaereat nexus. Perceptio sensu effecta solus & unicus existentiae est character. In sola notione objecti cuiusdam, nullus existentiae contineri potest character, notio enim semper eadem permanet, utrum objectum ejus possibile, an existens, vel necessarium cogitetur. Quamvis essentiales etiam notionis cuiusdam datae sint notae, vel interne (ut in scholis loquuntur) affectiones omnes (eae scilicet quae ipsae essentiam ejus constituant), longe tamen abest ut existentia ejus simul sit data. Quin etiam saepe objectum prius sensu percipere possumus, quam notio ejus cogitatione nostra informetur, qua quidem re objectum quod revera est, maxime ab objecto in mente tantum modo & cogitatione positio discernitur. Cum igitur ipsum esse objecti cuiusdam, non reale quoddam praedicatum, quod ad notionem ejus accedere possit, sed positio tantum modo ejus in tempore determinato sit, e judicii positione, quae copula est sola cogitatione fit, quam maxime diversa, non nisi inanis logicam tantum modo judicii formam efficiens relinquitur notio, si existentiam cogitantes, nullum neque schematis transcendentalis neque perceptionis cuiusdam sensa factae habeamus respectum. Sic neque vim ullam existentiae notio habet, si ex omni abstractur sensualitate, neque ad objectum ullum quodam modo referri potest. His igitur positis, efficitur, res in se cum neque tempus impleant, neque sensu percipi possint, vel quocunque modo materialibus experientiae conditionibus cohaereant, haudquaquam revera esse posse.

Qui etiam posset, quae so, existentia illis tribui, quae ne possibles quidem sunt. Quod enim formalibus experientiae conditionibus non convenit, id minime gentium possibile est. Ea objecti cuiusdam determinatio, ut tempore, licet non cer-

to quodam & definito, ponatur, schma est possibilis. Quæ vero sic formata est objecti cuiusdam notio, ut omni repugnans sit libera, possibilis quidem etiam est, sed hæc possibilitas logica est, & ad cogitationem tantum modo valet. Ut autem realiter quoque possibile sit objectum, temporis conditionibus convenire debet, adeo ut tempore quovis, licet quod determinari non possit, revera existere queat & esse. Hæc reputantes, Kantianorum quoque saniores quidam, loquuntur interdum & ipsi, quasi omnino negarent, aliquid de *re in se* liquere, sit ne, an non sit, qualisve sit (o), mox autem, eandem denuo jure suo sumunt, eaque illi tribuunt, quæ tribui non possent, nisi revera sit. Sic e. g. *rem in se* in animum agere contendunt, eamque afficiendo rerum externarum in spatio & tempore perceptionem efficere, ita ut occultum aliquid & a sensu remotum phænomenorum cuique fundamento semper sit. Quin in animo etiam aliquid in se latere volunt, quod ei quatenus phænomenon est, fundamento sit, qua quidem ratione, ad ipsam libertatem ejus tuendam, viam se munire posse confidunt.

Licet autem multa de *rebus in se*, parum apta & inter se cohærentia dicantur, aliquid tamen sibi repugnantius afferri facile non potest, quam ipsum illud quod caput totius doctrinæ est, esse nimirum perceptionum omnium causas & initia, e *rebus in se* animum videlicet pellentibus, ducendas. Hoc enim quale tandem est? Volunt omnem causæ & effectus notionem, cognoscendi tantum facultati originem suam debere, solisque representationibus nostris contineri, ipsas vero representationes, ex quodam extra mentem positio, legibusque ejus, uti asseverant, minime gentium subjecto, secundum causalitatis legem tamen explicant & declarant. Multi admodum sunt

(o) V. e. g. MELLER lib. cit. Art. Afficiert werden, Stoff.

Sunt in demonstrando, hanc legem mentis solum modo formam esse, nec nisi ad phænomena resque sensuum ditioni subjectas valere, mox vero eam absolute etiam & extra mentem vim quandam habere, & quidem ad *res in se*, cognoscendi facultati inaccessas licet & formis ejus plane exutas, pertinere volunt. Quid? Si in animum *res in se* agunt, perceptionumque ejus effectrices sunt, iis non solum existentia, realitas, substantia &c. eo jam nomine competit, sed spatio quoque necesse est sint & tempore, quibus sublatis, causæ & effectus mentio, ut ipsi quidem hi docent philosophi, nulla omnino fieri potest. Qui possunt unquam, quæ causæ sunt phænomenorum, phænomenorumque more efficaces sunt & agunt, non & ipsæ phænomena esse? Cum effectus edere possint *res in se*, causalitatis lege necesario sunt subjectæ, quam ob rem non potest non requiri aliquid, ex quo & ipsæ cur sint inteligi queat, quod vero aliquid suam etiam habeat necesse est causam, quæ quidem in infinitum sic serpit ratio, unde nascitur, nihil esse hanc *rem in se*, quam eidem addicti tam studiose defensitant, nili phænomenon mentis sensusque formis subjectum, vel potius nugatorium aliquid, inaneque phantasie spectrum (p).

Sed quid multa? Tota hæc de *re in se* doctrina, explicata aliquando & ad rationem revocata, quæ tandem est & qualis? Sunt videlicet *res in se* animumque afficiunt, numquam licet sint & nusquam, tempore quia eximuntur & spatio. Sunt atque, phænomenisque fundamento latent, licet nullæ

B 2

simul

p) Ut vero appareat consentaneum esse Kantianæ disciplinæ, quod supra de realitate disserimus, existentia, possibilitate, causalitate &c. vide KANT *Critik der R. Vern.* p. 602 sqq. 347 sqq. 106 sqq. 667, 266, 286 sqq. 272, 265. Cfr. MELLIN L. cit. *Artt. Realität, Ding, Daseyn, Möglichkeit, Ursache.*

simil sint, cum ad eas nec unitatis, nec multitudinis, nec omnitudinis (sit venia verbo) notio valeat, nulliusque notione necessario cogitandum sit, quocunque omni sic careat quantitate. Aliquid revera sunt, licet nec esse possint, nec aliquid ullo nomine sint, quin ne possibiles quidem haberi queant. Omnibus praeterea *res in se* exutæ sunt sensualitatemisque formis, tales quamvis ne cogitari quidem possint nec esse, sed tam causalitatis, quam ideo ceteris etiam mentis formis, immo spatio quoque & tempore necessario habeantur subjectæ. Quæ omnia quomodo conciliari queant, haud quidem perspicimus..

Si vero aliquem unquam, philosophum certe decet, quævis subjicienda sit vocibus exprimere, & de iis quæ proponat, non errantem & vagam, sed certainam stabilemque habere sententiam. Quam ob rem præcidant tandem & statuant, quid sibi sonet tota hæc vox *rei in se*? Quæ sit ei potestas subjicienda, quæ vis? Qualem eam, quaque velint esse natura? Quicquid enim ut lupra ostendimus, eorum attigerint, quæ objicitatis notione comprehendimus, ulcus est. Quod autem dicunt, omnem intelligentiæ nostræ vim & notionem, *res in se* necessario fugere, nihilque se de iis comprehensi habere, nihil percepti, cogniti, constituti, ea facile adimitur rebusatio. Cum enim mentionem earum faciant, notionem quoque earum aliquam necesse est habeant, nisi inania tantum temere dent verba. Quid autem est tam furiosum quam inanis sonitus verborum, quibus nulla subiecta sit sententia vel scientia? Quin *nihil* etiam aliquam saltem habemus intelligentiam, potest scilicet ut merum aliquid formale, spatii vacua scheme cogitari. Cum vero nec spatii nec temporis schema ad *res in se* adhiberi possit, non nisi vaga earum & errans quædam relinquitur, inter *nihil* & aliquid fluctuans cogitatio, quæ ne id quidem commodi habet, ut vere *nihil* sit. Sic male:

male instituta ratio, quoconque dirigatur, exitum reprire non potest.

Licet satis igitur & ad liquidum demonstratum sit forsan, temerariam totam hanc de *re in se* esse doctrinam, a re tamen & proposito sejunctum non erit, ulla aliquas adhuc quibus obstricta sit exponere difficultates.

Quod quidem primum est, non explicat hæc ratio, quod explicandum erat, in orbem quia explicat. Ad realitatem enim explicandam & res, aliam sumit realitatem, aliasque res, quæ qualescumque cogitentur, quibuscumque exuantur mentis formis, non tamen potest intellectus humanus non, earum quoque exquirere rationem, nec facile quiescit, priusquam unde & ipsæ sint, quid sint, qualcsque sint, cognitum habeat & exploratum. Omne enim *esse*, qualecumque ponatur, suum unde explicari queat, supponit principium, adeoque ipsum, ultimum numquam cognitionis principium *esse* potest & fons. Libertas enim sola est, unde genuina omnis & vera, originem necesse est ducat philosophia, illa sola principium hujus est unicum, exitusque ejus omnis & finis.

Deinde absolutum *esse*, absolutaque realitas cogitari nullo pacto potest. Introspiciat enim quisque se in mentem suam ipse, eamque omni cogitatione pertractans, percunctetur ipse se, an possit ullo modo merum *esse* cogitare, nisi mentem simul sumat, quæ ipsa se suapte vi determinando, hoc quoque *esse* simul determinet & percipiat. Merum *esse*, quod ipsum sui concium fieri non potest, nihil necessario est, nec nisi quantum mente quadam concipiatur, aliquid fieri potest. Vel qui potest intelligi realitas quæ nec sibi, nec mihi, nec aliis cūdam intelligentiæ aliquid erit? Absoluta res, omniaibus qui realitatem ejus efficiant exuta attributis, non nisi ut mera possibili-

bilitas cogitari potest, ut aliquid scilicet quod accedente intelligentia aliqua percipi queat. Hæc vero possilitas ipsa, quid aliud est, quam mera actio repræsentatioque mentis? Realitas saltem haberi non potest, nisi eandem iterum temere ponamus realitatem, ex qua, absolutum extra nos requiri entes esse, nostrum fuit penitus mentem levocare. Quantumvis etiam realitatem per se cogitans excutias intelligentiam, omnesque animi nervos contendas, ut ex omni intellectus cuiusdam intuentis respectu abstractionem facias, mox tamen ipsis tuum apponis intellectum, ut, quomodo se jam res habeat, intueatur (q). Cum non pos sit præterea merum esse intelligi, nisi ut quid intelligentiæ cùdam necessario oppositum (*entgegengesetz*), absolutum lumere esse, nihil sibi aliud vult, quam oppositum ponere, sine ponente & posito. Quo quid fieri potest obtusius?

Quod si nihilo minus ullo nomine *res in se* sumerentur, qui tamen possent, ut fert Kantianorum opinio, animum pulsando conscientiam producere? Posunt quidem res quatenus phænomena sunt, in alias res agere, certumque in his & definitum, percipienti cùdam intelligentiæ, statum efficere & esse quoddam determinatum, minime gentium autem conscientiam quoque in iis producere & sensum (r). Si vero *res in se* afficiendo solum modo animum, conscientiam efficere possint, quid empedit, quominus ipsæ quoque invicem in se agant, eandemque edant effectum? Cum adhuc effectus fieri non possit, nisi secundum causalitatis legem fiat, intelligi non potest, qui hæc lex, ex uno mundo in alterum pertineat, ei pl-

q) Cf. Höjer *Afhandling om den Philosophiske constructionen* p. 121.

r) V. SCHAD *Gemeinfassliche Darstellung des Fichteschen System.* 1 B.
p. 200 seq.

plane contrarium. Animus enim & res, scire & esse, invicem sibi plane opposita sunt, & ad mundum utraque pertinent diversum, unde in alterum transitus fieri non potest. Causarum & effectuum series, non nisi realis est & simplex, duplex quemadmodum fiat intelligi non potest. Unaquæque consequentia rerum, motum ab altera acceptum, in aliam sibi proximam transfundit, & sic in infinitum alia ex alia neclitur, nulla autem reperitur, quæ retrogradiens ipsa in se agat & sui evadere posit consilia. Intelligentia obtineri non potest, nisi prima cogitetur & absoluta, quæ ipsa se determinationesque suas suapte vi ponat. Causarum effectuumque serie saltum existere non potest; quam ob rem hac via explicari non potest, quod explicandum erat. Declarandum enim erat, quid merum esse in scire transeat, quod vero nulla fieri potest ratione; ingens nimurum sit saltus in mundum, huic principio incognitum plane & alienum (s). Non potest unquam esse in scire commutari, nec magis hoc in illud abire, quin immo nulla congruere poslunt ratione, nisi utraque ut in mente cogitante, ipsiusque sui consilia, unum originitus sint & idem. Quam ob rem in tantas, numquam non omnes inciderunt salebras, materialismum scilicet & idealismum trancendentem, qui aliud eorum ex alio explicandi periculum fecerint, ut nulla expeditre se potuerint via.

Cogitari potest, quid materia in materiam agat, non autem qui aliquid in se, in aliud quoddam in se efficax sit, nec quomodo animum extrinsecus aliquid ferire possit & pellere. Res quidem in res, in spatio & tempore agunt, animus autem, quatenus libertate gaudeat, ejus eo jam nomine compos est, quod se supra rerum nexus tollere, & ipse hic nexus, qui locum habere possit, requirere valeat, res & objectum.

s) V. SCHAD lib. cit. 2 B. p. 117 sqq.

etum haudquaquam est. In proprio suo vivit mundo, est ens, quod non est aliis entibus sed ipsum sibi. Qui igitur potest, in quem nullius externi contagio pertinere queat, extrinsecus aliquid accipiendi, ferendique adeo & patiendi necessitate subjectus esse? Quae nimurum necessitas non nisi in rerum cursu eventorumque consequentia versatur, supra quae vero ipse se sustulit animus. Quod si causarum jam effectuumque ordine teneretur & serie, ubi causa causae nexa rem ex se gignit, adeoque ipse, una cum toto representationum suarum systemate, naturae generatus esset vi, necessitatisque adstrictus legibus, qui possit ipsam hanc rumpere seriem, qui se sponte sua e compagibus ejus ipse eripere, de natura ejus cogitare, qui posibilis sit, unde originem ducat, quam vim habeat, libero requirere judicio? Qui locum, quem absoluta sibi assignavit necessitas relinquere, & ipse se, suapte vi in libertatem vindicare? Quod cum fecerit, non est amplius idem, phænomenorum nexu ligatum ens, est omnis suus, ipse ex se aptus, qui aliunde pendere non potest, nec extrinsecus, agendi patiendique suspensas habere rationes, totusque igitur in se & omnibus suis numeris absolutus, nec intelligi potest, qui externus eum adhuc & adventicius contingere posse pulsus (*t*).

Sed sit, age, positum, externum aliquid animum pulsare posse. Quid est jam in ipso animo, quod judicet esse eum extrinsecus affectum? Ipse sine dubio animus, qui tamen quantum judicet, externæ cujusnam vis patiens non est, sed ipse sponte sua agens. Est igitur, solitus licet & vacuus, ita ut omnino nihil sibi cum externa quadam contagione sit, omnique adventicio pulsu liber, ipse tamen ejusmodi pulsus conscius, eam-

*z) V. SCHELLING Ideen zu einer Philosophie der Natur, Zw. Aufl.
Th. I. p. II. lgg.*

eumque percipit & sentit (*u*). Ad sensationem igitur explicandam, satis non est, ut extrinsecus aliquid in animum agat & influat. Ponatur etiam quid in animo, necesse est, quod sentiat & percipiat, quod vero qua tale, nullum cum externo quodam, habere potest contactum. Ex aliena quadam, extrinsecus animum feriente vi, continuus nulla ratione ad sensum esse potest transitus, saltus tandem aliquando necesse est fiat, quem vero, qui posit aliquis sana ratione utens admittere, percipi facile non potest. Cum etiam externus in animum pulsus, praesens cogitari non possit & realis, nec ulla ratione revera adesse queat, nisi ejus conscius jam animus sit (sublata enim conscientia, nec objectum animo unquam est, nec effectus in eum quispiam), efficitur, externum ejusmodi pulsus, unde conscientiae initium duceretur & ortus, ipsam jam ponere conscientiam. Quam ob rem tota haec conscientiae originis explicandi ratio in circulo versatur, petitionemque necesse est involvat principii. Requiritur nempe: quonam modo in animo oriatur conscientia? Id animi quadam affectione extrinsecus effecta, fieri volunt. Haec vero ipsa qui tandem animo existit affectio? Conscientia, quae ad hanc se refert affectionem, eamque determinat. Quod vero *res in se* affectio- nis effectrices faciant, quem fugit, hic quoque in orbem eos explicare. Affectionem ex *rei in se* in animum actione explicant. *Rei* vero *in se* unde notionem habent? Affectione. Ex eo enim quod affectus animus sit, *res in se* esse colligunt, easque absolute efficientes ponunt. Sic affectio e *rerum in se* existentia, haec autem vicissim ex affectione declaratur (*v*).

C

Sed

u) SCHELLING lib. cit. p. 16.

v) SCHAD lib. cit. B. IH. p. 225.

Sed commenticiam hanc esse doctrinam & e falsis profectam initisi, maxime inde elucet, quod mentem quoque hominis libera voluntate spoliatam, fati necessitate de-
vinciat. Frustra enim, qui ad hanc adhærescant discipli-
nam, quo animi libertatem salvam conservent fatique ne-
cessitate immunem, denuo *ad res in se* configiunt, mentem
que ipsam inter eas referendo, id saltem obtinuisse se putant,
ut lateat nos nec slario, an non fieri posse, ut sint sine ullo
fato, motus ejus voluntarii; non posse enim non in eas di-
labi difficultates, ut vel inviti fati necessitatem confirmant.
Nisi enim omnia sua complexus nihil aliunde quærat animus,
sed extrinsecus religatus pendeat, valeatque revera ad eum
rerum in se affectio, ita ut omnes ejus ex earum societate
sint repræsentationes, & ne ipse quidem sui conscientiam ha-
bere possit, nisi earum vi & efficientia exitatam, ipse a se ap-
pus sie non potest, nec in sua ullo pasto esse potestate, si-
bique parere. Totus necessario *e rebus in se* suspensus est &
nexus, quin etiam non nisi *accidens* earum esse potest & mo-
dus (ut in scholis dicitur). Est tantum modo quatenus aliud
quidquam est, quod ut reale scilicet ejus sumitur principium.
Numquam igitur sui conscius fieri potest, i. e. animus esse, nisi
pulsus in eum extrinsecus fiat, aliena vi & necessitate effe-
ctus. Cum ergo nec ipse se nec rem, suamet aboluta ponat
vi, sed e contrario ipse non nisi accidens rei in se ponatur,
res vero, prior quia cogitetur & aboluta, ipsa se suapte na-
tura ponat, consentaneum non est, libertatem, *rebus* penitus
ad natam, temere *animo* tribuere. Circa hanc theoriam, *res in se*
necessario sola agens est & efficax, animus autem non
nisi patiens & huic se præbens. Quocirca, naturali neces-
sitate colligatione, conserte contexteque fiant omnia, sempiter-
naque sint causarum serie definita & constituta. Nihil proflus
cogitari potest, quod non aboluta efficiat necessitas, nihil
quod in nostra unquam sit potestate, quocirca nullus animi

motus esse potest voluntarins, nec igitur actionum imputatio
alla. Quem vero errorem, radicem maximorum malorum,
germanæ omnis & genuinæ stirpitus philosophiae est ex-
trahere.

Sed non est ut mireris, multa hanc doctrinam, si ad
vitæ rationem adhibeatur, turbare, practicisque hominum ad-
versari ideis, cum non tantum longe gentium absit, quin re-
vera, quod sibi explicandum proposuerit, explicet, sed ipsa
quoque sibi repugnet, eaque simul sejungat, quæ divulsa ne
cogitari quidem possunt & in nihilum necesse est abeant, *pra-
varum* autem, ut scite ait CICERO (x), *opinionum conturbatio*,
& ipsarum inter se repugnantia, sanitate semper spoliat animum
morbisque perturbet. Ut enim supra jam expositum est, *for-
mam cognitionis e materia sejungit, illam menti insitam sumit*
& anticipatam, hanc vero absolutam ponit & a cognoscendi
facultate minime gentium aptam. Qui autem potest mens, si
cognitionem quadammodo ipsa ex se producat, non eam to-
tam quoque e semetipsa procreare? Qui potest aliquid ex-
trahere ad cognitionem accedere, cum nihil esse queat quod
non sit cum cognitione identicum? Si forma mente solum
modo continetur, continetur necesse est etiam materia, ex qua
omnia expressa sunt & efficiuntur, in objecto enim arctissime jur-
dæ sunt & inseparabiles. Sublatis autem omnibus, quæ ob-
jectum constituunt, nihil sine dubio, quod intelligi possset re-
linquitur, praeter ipsam, quæ sibi objectum repræsentat men-
tem. E mente igitur ipsa, repræsentationes etiam omnes, quæ
objectivitatem constituunt, evolvi necesse est queant & expli-
cari. Si enim *causa, effectus, substantia, & ceteræ categoriæ*,
non nisi in mente & cogitatione ad materiam accedant, intel-
ligi non potest, quid sit ista, his notionibus sublatis materia,

C 2

quid

x) Quest. Tusc, Lib. IV, Cap. 10.

quid, sine materia, forma. Cum & ipsi formam sine materia plane nihil esse, nec nisi adjecta materia aliquid fieri doceant, nihil causæ est, cur non eadem etiam de materia confirmem. Nihilo enim magis hæc sine forma cogitari potest, quam illa si a materia divellatur. Si enim materia *per se* esset & absoluta, nec nisi forma, menti originem snam dèberet, quoniam tandem modo continuatio seriesque rerum, quatenus eam repræsentamus, objectiva posset esse & realis? Si enim, ut ipsi præcipiunt, rerum series omnis & successio, in mente solum modo posset esse & cogitatione, ipsæ vero res, quales per se sunt, extra mentem esent, nec a repræsentationibus nostris ulla aliqua ratione penderent, objectiva illa necesitas, qua determinatam rerum cogitamus successionem, ut omnes inter se aptæ colligataeque videantur, non nisi vana nosmet illudens eset species, cum rerum nimirum quæ habetur successio, in ipsis tamen non eset rebus. Objective enim necesariam, cum rerum dicimus successionem, id nullam aliam habet vim, quam has res, non nisi in determinata hac successione, invicem se excipere posse, nec nisi in determinatis his rebus hanc fluere posse successionem (y). Quo enim invicem sibi repræsentationes nostræ succedant ordine, ejus rei nostra non est potestas, cuius igitur non potest non, in ipsis rebus contineri ratio, contendimusque hanc successionem, ipsarum rerum continuationem esse & seriem, neque ergo repræsentationum duntaxat, quas eam habemus, hancque demum non nisi quatenus objective sit necessaria, subjective etiam necesariam esse successionem. Unde vero cogitur, determinatam hanc successionem, e determinatis his sejungi non posse rebus, adeoque successionem una cum ipsis rebus, res vero, una & simul cum successione existere necessario & oriri. Perfecto igitur & concluso, successionem e rebus sejungi non posse, effi-

y) SCHELLING lib. cit. p. 28 lxx.

efficitur, cum illa in mente tantum locum habere queat, res quoque ipsas, in mente necessario existere & oriri, adeoque materiam cum forma hoc quoque respectu coalefcere.

Licet ergo ex allatis satis jam appareat, non posse formam e materia divelli, utramque mentis infinita vi procreari, maxime tamen, ut ingeniosissime, sicut folet, longe omnium, qui ex Kantio profecti sunt, illustrissimus probavit SCHELING (2), ex *organismo* haec dilucet veritas. Unus enim quisque organismi fetus, ipse in se existentiae (*Daseins*) suae continent principium, causaque ipse sui est & effectus. Est *totum* aliquid, propria sua præditum causalitate. Singularum ejus partium nulla, nisi in hoc toto existere potest & nasci, hoc vero *totum*, ipsum in mutuo tantum modo partium, quae mediorum scilicet & finium reciprocas tuentur vices, consistit commercio. Non ut anorganicorum omnium corporum, arbitriæ partes ejus sunt, sed reales & necessariæ, objectivam, quia ad *totum* habent rationem, divisioque ejus non arbitria est, sed ab ipsa ejus essentia derivanda. Nam ob rem abesse non potest, quin unicuique organisationi, notio necessario fundamento sit, quodcunque enim objectum, ubi totius ad partes, partiumque ad *totum* necessaria est relatio, notionem necessare est continet. Haec autem notio, ipsi organisationi intime intexta est & implicata, nec potest ullo pacto ab ea separandi. Organicum quodvis ens, ipsum suapte vi indoleam suam producit organicam, nec metum opus est artificio perfectum, cuius nimirum notio extra illud in artificis continetur intellectu. Non enim sola forma ejus sed existentia quoque ad finem apta est & accomodata. Non posset organisatum fieri nisi organisatum jam esset, nec nisi ex organisatione oritur organisatio. In ente igitur organico forma & materia plane inse-

(2) Lib. cit. p. 42 sqq.

inseparabiles sunt. Notio que huic organisationi fundamento est, per se nullam habet realitatem, nec haec vicissim materia, utpote materia, sed notione solum modo, que ei inest, organica est materia. Determinata haec forma, non nisi una & simul cum hac materia, nec magis haec materia, nisi una cum hac forma, existeret unquam potest. Hic taliter non in representatione tantum nostra connectuntur, sed in ipso obiecto, originitus & necessario sunt conjuncta. Cum igitur formam ex ipsa mente generatam volunt, materiam quoque necessari est dent, ex eodem derivandam esse fonte, nec posse eam per se esse & absolutam. Quid? Inficias non possunt ire, nullam nexus finalis (*Zweckmäßigkeit*) ideam nisi in intellectu quedam existeret posse, nec unquam rem aliquam, nisi talis respiciatur intellectus, ex conceptu causarum finalium posse dijudicari. Nihilo autem magis negare possunt noncum finalem, earum quas natura ex se fundat & pariat rerum, in iis ipsis inesse, totaque earum essentia intextum esse & implicatum, adeoque objectivum esse & reale, nec ad arbitrarias nostras sed absolute necessarias pertinere representationes. Concedant necesse est, unitatem qua eas cogitamus, non logicam esse sed realem & plane essentialem, cum anorganica & contrario corpora, non vera quadam & interna coherentia unitate, sed intellectu quoddammodo per conceptum jungantur. His vero politis, qui posset idea, que non nisi in mente esse potest, mentisque tantum modo respectu realitatem habet, obiecto tamen cuidam inesse, nisi una cum idea, objectum quoque in eadem existeret mente? Qui materia ideam, plane alienam sibi, effectui dare, nisi ad necessarias ejusdem mentis representationes, tam materia pertineret, quam ipsa haec idea?

Quin etiam, ut eundem diutius urgeamus locum, admiranda copulatio rerum, & consentiens ad mundi incolumitatem coagulatione naturae, nexusque ille finalis, qui per omnem mun-

mundum, omnia mente & ratione conficiens funditur, totaque rerum universitas, nonne mentis est idea, nequaquam arbitria, vel experientiae ope comparata, sed plane necessaria, innataque nobis & in animo quasi insculpta? Certo certio persuasi sumus, universam rerum naturam, cuicuimodi sit iter ejus, qualisque progressio ejus cunque, aptam esse & perfectam, omnibusque suis numeris expletam & partibus, totamque mundi machinam, quae omnia complexu suo coëret & continet, ratis necessario moderari ordinibus, & ita admodum cohædere, ut nihil ne cogitari quidem possit aptius, nihil descriptius. Ubi vero repugnantiae quid & dissoni animadvertisimus, totum naturæ nexum distractum arbitramur, nec quieti sumus, nullam in ea admittentes temeritatem, priusquam hic quoque harmoniam effecerimus & intimum cum ceteris naturæ finibus concentum. Quod si voluerint, informatam hanc & anticipatam mentibus nostris ideam, objectivam haud esse, nec naturæ, quatenus ipsa per se sit competere, sed in representatione solum modo in eam transferri, nihil eos reputavisse apparet, quid sit revera vel esse oporteat natura. Anticipatum enim nobis est, non fortuito naturam huic convenire ideae, sed necessario eam & originitus, mentis nostræ non exprimere modo, sed revera effectui dare leges. Non formam unice naturæ hæc constituit idea, sed per omnem illius esentiam, hujus necessario pertinet implicatio, haud enim opus quoddam haberi potest natura arte consequum, sed in feme tipso consistens quid absolute originarium. Quæcum ita sint, totius universi descriptio & modus, quod ad ipsissimam ejus spactat esentiam, mentis infinita vi designetur necesse est & conficiatur, totaque admirabilis ejus fabrica, ex immenso animi fundo evolvi possit & explicari. Non nisi in absoluta identitate spiritus intra nos, & naturæ extra nos, problema solvi potest, qui sit natura extra nos possibilis; quod si sumitur, Kantiana ista, de re in se corruent necessario

rio universa. Ad hanc autem notitiam, *absolute-ideale* simul etiam *absolute-reale* esse, varia is duci potest via, cui hæc non illuxerit veritas, ipsa vero non nisi indirecte demonstrari potest, cum potius omnis demonstrationis fundamentum sit & principium.

